Quam libro Reflexionum Physico-mathematicarum inseruit. Pag. 72.

A Nostris autem Phœnomenis editis, conatus ingens in inueniendâ Circuli Quadraturâ, labore improbo impensus est, & decem libris explicatus, quo Proportionalitates nouo modo deducuntur: quippe non solum rationes similes, sed etiam dissimiles inter se comparat. At verò cum neque dederit Quadraturam eo modo quo solet à Geometris expectari, cum in eâ exhibendâ, longè quam ipsa Quadratura difficiliora supponat, vel postulet; neque meminerit vllatenus Geometriæ per Indiuisibilia Eruditissimi Bonauenturæ Cauallerij, quandoquidem primus illam per Indiuisibilia methodum edidit, qui tamen illi præluxisse videtur, nostris Geometris displicuit. Qui præterea nonnihil in illo opere requirunt, vel arguunt; idq; præsertim quod cum Opus suum Quadraturæ Circuli specioso, superboq; titulo insignierit, nihil tamen quod ad rem faciat, præter id quod eâ in re hactenùs inuentum est, protulerit. Quippe in illud abit necdum solutum Problema, quodq; forsitan longè difficiliorem quam ipsa Quadratura solutionem requirit: Datis tribus quibuscumq; magnitudinibus, rationalibus, vel irrationalibus, datisq; duarum ex illis Logarithmis, tertiæ Logarithmum Geometricè inuenire.

Hæc R.P. Marini Mersenni sententia, totidem expressa verbis, hoc est singulis, & omnibus. Contemni quidem poterant omnia, quæ totâ Censurâ continentur, imò & contemnuntur à peritis: silere tamen omnino, non videbatur consultum; saltem ad Geometrica responsum oportuit, cum inter multos versemur hodie, quibus silentium ipsum, erroris deprehensi videtur esse, tacita quidem, sed indubitata confessio.

Conabimur igitur ad Problema Propositum respondere, illudque supplere quod ad absolutam circuli dimensionem Mersennus deesse suspicabatur: & hac occasione quorundam dubiis faciemus satis, quibus aliquæ propositiones Quadraturam spectantes, obscuriores visæ sunt.

PARS